Bryn Mawr College

Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special Collections, Digitized Books

1858

Emendationes Vergilianae

Otto Ribbeck

Follow this and additional works at: https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks



Part of the Classics Commons

Let us know how access to this document benefits you.

Citation

Ribbeck, Otto. 1858. Emendationes Vergilianae. Bernae: Hünerwadel.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College. https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/88

For more information, please contact repository@brynmawr.edu.

AGADEMIÆ- IENENSI

ILLVSTRISSIMÆ

TRIA- SÆCVLA- PRÆCLARE- PERACTA

GRATVLANTVR

RECTOR. ET. SENATVS
ACADEMIÆ. BERNENSIS

INSVNT OTTONIS RIBBECKII EMENDATIONES VERGILIANÆ.

BRECHRIN AC

TYPIS OFFICINÆ STÆMPFLIANÆ (G. HÜNERWADEL).

MDCCCLVIII.

Scholes are vill

ATUARRY -ERAIDERS -ALVORS -AIRT

SUTERATUTE.

2000年6月1日 · 田田 · 祖母日の田名

RIEMBINISH PRINCIPLE

MEVET STRONG SHEEFERN HARREN SHEEFER THURM.

「東面網路器

et hostre quoque res sensira pullufascentes, modo simili constantia

profecti quantum nominis spicadorem quantamque optimorum studiorum

veneratione, Vestrorum anton hominum ingenti industrinque admiratione contemplantes non potrimus non et ipsi spe crigi Imiissina, forc

VNIVERSITATIS- LITERARVM- BERNENSIS

PRORECTORI · ET · SENATVI

VNIVERSITATIS - LITERARVM - IENENSIS

plentissimi, at cost ustura cine enalthnus, its non tantum et ore et

Faustam inprimis TERTIORVM ACADEMIÆ VESTRÆ SÆCVLARIVM quam celebraturi estis sollemnitatem nos quoque, qui
sub ipsas Alpium radices quasi novissimæ stationis excubiæ literarum
Germanicarum castra tuemur, quanto animi studio Vobis congratulemur idoneos interpretes ad Vos misimus collegas nostros. Nec immortalium qui apud Vos cultiorum hominum genus universum docuerunt erudiveruntque virorum merita et prorsus aurea beneficia enarrando 'tenues grandia deterere' conabimur. Sed quoniam nostra quæ
dicitur literarum universitas vix quinque lustrorum spatia permensa
prope ab ipsis disciplinæ velut incunabulis adhuc abest, non profecto
acceptius et auspicatius obtingere nobis potuit omen festivissima, qua
Vestra sæcularia indixistis, de IOANNIS STIGELII primi academiæ
Vestræ professoris vita commentatione. Nam quam ab exiguis initiis

profecti quantum nominis splendorem quantamque optimorum studiorum amplitudinem strenue nitendo consecuti sitis haud sine divi numinis veneratione, Vestrorum autem hominum ingenii industriæque admiratione contemplantes non potuimus non et ipsi spe erigi lætissima, fore ut nostræ quoque res sensim pullulascentes, modo simili constantia sapientia magnificentia alantur ac nutriantur, com maturatæ ad pubertatem pervenerint, flores fructusque proferant in dies uberiores ramosque suos, ut par est, étiam ultra Helvetiæ terminos olim extendant.

Vtque voluntatis erga Vos nostræ aliquod saltem quamvis pusillum testimonium extaret, tamquam ipsis STIGELII Vestri, quippe et
philologi et Latinarum Musarum poetæ laureati, Manibus has quæ
infra secuntur VERGILIANAS EMENDATIONES dedicavimus.
Quas non prorsus indignas visum iri speramus eo viro, qui vatis
pientissimi, ut erat natura eius simillimus, ita non tantum et ore et
scriptis doctus interpres sed etiam carminibus imitator extitit tam felix,
ut parem auctori suo æquales iudicaverint.

Itaque clementer accipite quas sacris Vestris lubentes porricimus offas, et pergite ingenuis literis studiisque gnaviter fortiter liberaliter colendis ac promovendis per sæcula sæculorum auctores adiutoresque esse. Valete!

ent crudiveruntque virorum merita et prorsus auros beneficie enercando tenues grandis deterere consbimur. Sed quoniam nostra quadicitar literarum universilas viz eginçes instrorum spatia permensa cope ab ipsis disciplima velat incunabulis adhue avest, non profecto coppins et auspicatius obtingere cobis poruit omen fostivissima, qua

istra specularia indixistis, de IOANNIS STICEIAI primi neademies

Quod ante hos tres annos satis certis, ut mihi quidem videbatur, et grammaticorum veterum et ipsius carminis indiciis nixus suspicatus sum, secundas, quibus georgica anno 724 vel 725, si Donato credimus, primum edita retractaverit, curas Vergilium morte prohibitum nondum absolvisse: id quam multis doctorum hominum persuaserim nec scio equidem nec, verum ut fatear, in hac arbitrandi de rebus præsertim poeticis licentia atque incertitudine magnopere curo. Unum dubito -utrum subscriptorem coniecturæ meæ dicam an adversarium, Tittlerum, qui dissertatione de tempore quo Vergilii georgica edita sint vernacule scripta*) reiectis meis quidem argumentis fere omnibus tamen aliud quoddam firmius fondamentum indagasse sibi visus est, cui aliquanto audaciorem etiam ni fallor coniecturam superstrueret.

de peogre gnoque et de pascuis ritann con libentius, quod hac integra lantar Musa

meritarus, site dago autour ul ipsum Baniam (d) esuperara est princeps partarum ben

Ac meam causam semel adversus Ladevicum dixisse eo magis satis habere possum, cum Tittlerus quæ Fleckeiseni annalibus (LXXV 74 sqq.) tradideram ne legisse quidem videatur. Nec alia quibus eandem rem firmari postea intellexi hic commemorabo: id gaudeo, libri IV 228—250 eodem prorsus modo a Tittlero p. 11 restitui, atque ipse dudum in exemplari meo adnotaveram, scilicet ut versuum ordo hic sit: 228—230. 236—338. 231—235. 248—250. 239—247. Item adsentior, quamvis ipse non animadverterim, III 120—122 melius post 96 poni. Verum non probo, quæ de tertii libri proœmio (1—48) disputavit, quod cum primo ex his versibus constiterit: 1—8 ('acer equis'). 40 ('Dryadum') —48, postea Augusto versus 3—45 resectis ceteris una cum duobus ultimis georgicorum libris traditos esse putat. Nam sive templum illud, quod Cæsari se extructurum esse promittit poeta, ipsius Aeneidis libri intelleguntur sive aliud quoddam opus poeticum honori illius consecratum (quippe allegoriam esse ipse censeo), certe satis apte sententiæ ita fere se excipiunt:

nostri et Probas (al Berglii cobatt 1845-11) e Se sec.) Pane id

^{*)} In commentationibus scholasticis Brigensibus anni 1857.

de pecore quoque et de pascuis dicam eo libentius, quod hæc integra Latinæ Musæ materia est. Nam nova sane via ingredienda est, si quis insignem in hac arte laudem meriturus sit. Ego autem ut ipsum Ennium (9) superare et princeps poetarum fieri tendo, ita splendidissimum quodque argumentum, et quid potest esse splendidius Cæsaris laudibus? mihi sumo. Sed ad summum illud artis fastigium olim ascendam, interea humiliorem sane sed intactam tamen et ipsam materiam te, Mæcenas, qui ad altiora me ducis, auctore pertractabo. Mox tamen opere hoc absoluto et corroboratis viribus res a Cæsare bello gestas (iam enim quod allegorice supra significavit, ipsis verbis eamque ob causam brevius declarat) carmine epico enarrabo'. Verum sane est potuisse omitti tres ultimos versus, sed quis umquam demonstrare poterit non potuisse æquali fere iure promissum, cui solvendo in præsens inparem se professus est, in fine exordii eo consilio repeti, quo magis firmum sanctumque esset!

Item nec nego nec olim negavi posse versus 26—33 ad annum 734 referri, ita ut hic locus fortasse usque ad v. 39 secundis curis additus sit: verum quod nullo nisi suis de tertii libri initio opinionibus nixus argumento statuit Tittlerus, solos libros I et II ante 724 editos esse, vel primi libri prooemio refutari potest, quo etiam que cura boum, qui cultus habendo Sit pecori, apibus quanta experientia parcis' se dicturum profitetur Vergilius. Mera autem commenta et sibi ipsis adversantia sunt, quod idem vir doctus quamquam absolvisse et Mæcenati tradidisse Vergilium iam anno 725 totum georgicorum opus propter IV 559—562 concedit, tamen eundem narrat publici iuris numquam fecisse, sed in perpoliendis duobus libris quasi énóvt' dénovti y 30 pupé undecim annos usque ad mortem desudasse. Quæ quibus ille interpretandi argutiis elevet magis quam fulciat hic demonstrare in animo non est.

Properamus enim ad Aeneidem, quam imperfectam a poeta relictam esse cum certissimo testimonio constet, tamen quatenus non perfecti operis vestigia etiamnune appareant, minus diligenter ab interpretibus solet indagari. Velut quamvis tot dimidiatis versibus et maxime incohata illa versiculi III 340 sententia admoniti tamen de totorum vel singulorum vel adeo plurium versuum lacunis numquam cogitaverum. Paulo minus sed tamen nimis adhuc neglectum est id emendandi genus, quod transponendis carminibus continetur, quo tamen Probum, Vergilii editorem, usum esse discimus ex anecdoto Parisino: '— asteriscus cum obelo propria nota est Aristatchi. utebantur autem ea in his versibus, qui non suo loco positi erant. item antiqui nostri et Probus' (cf. Bergkii ephem. 1845 III p. 86 sqq.). Nam, id quod statim perspexit Bergkius, ipsum Romanum Aristarchum significari certe is quoque, qui nuper

Boeckhio viro maxime venerando gratulabundus commentationem 'de Probo carminum Vergilianorum editore' futilissimam ne perlectis quidem antea Ottonis Jahnii ad Persium prolegomenis conscripsit, vix negavisset, si cognovisset et asteriscum ad Aen. IV 669. 676 et diplen > ad IV 245 etiamnunc in schedis Vaticanis extare.

Nec transpositorum partim consilio partim errore versuum exempla manifesta in ceteris Vergilii libris antiquissimis rara sunt. Velut duos postremos libri quinti versus nemo ignorat a Vario et Tucca sexti initio positos, a Probo contra redditos esse quinto, cui in ipsis Vergilii schedis adiecti fuisse dicuntur. Versus libri X 661-664 et 714-718 in antiquissimis nostris exemplaribus PRM2 (i. e. Palatino Romano Mediceo Gudiano) inverso ordine hoc: 663. 664. 661. 662 et 716-718. 714 sq. *) leguntur, in Mediceo post Aen. I 700 sequuntur 709-716, deinde 701-708, in Palatino post ecl. X 67 versus 38, in schedis Vaticanis (F) post Aen. IV 677 in margine adscriptus est v. 670 suo loco omissus. Recte transponi intellego V 777 sq. in P2, ut primum de Aenea et de sociis proficiscentibus separatim, deinde de tota manu dicatur:

ipse caput tonsæ foliis evinctus olivæ mano olivæ alvol	774
stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos	
proicit in fluctus ac vina liquentia fundit.	776
Certatim socii feriunt mare et æquora verrunt:	778
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis.	777

Nisi forte interpolatus est incertæ sedis versiculus ex III 130, ubi quæ antecedunt iam a Peerlkampo recte ordinata sunt:

nauticus exoritur vario certamine clamor; 128

^{*)} Vulgatam horum versuum lectionem contra Scaligerum parum seliciter Ladevicus desendisse videtur philologi VII 483. Minime enim idem est, quod aper ille ubi primum in retia incurrit stupens substitisse (711), postea autem iaculis undique et clamoribus temptatus et inritatus circumspicere dicitur quo erumpat. (714). Porro aliud est sætas horrentes velut arma erigere (711), aliud hastas tergo decutere; aliud fremere voce ac dentibus frendere. Atque de Homeri quoque apro eis locis, quos hic Vergilius imitando contaminavit, utrumque prædicatur: Εήρων λευκόν οδόντα μετά γναμπτήσι γένυσσιν (ΙΙ. Λ 416); et φρίσσει δέ τε νώτον υπερθεν οφθαλμώ δάρα οἱ πυρὶ λάμπετον αὐταρ οδόντας Εήρει κ. τ. λ. (II. N 473 sq.) Quod contra Mezentium perferre hostium impetum iam v. 695 sq. dictum erat, nec tamen cunctatur, sed strenue alium atque alium invadit et sternit 696—706 et 719 sqq.

hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Linguimus Ortygiæ portus pelagoque volamus,
Bacchatamque iugis Naxum viridemque Donysam,
Olearum niveamque Parum sparsasque per æquor
Cycladas et crebris legimus freta concita terris.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis,
et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.

Coniecturane nescio an librorum ope editor Parmensis versum VIII 654 consuetis argutiis ab interpretibus Heynio patientioribus defensum post 641 posuerit, sed rectissime eundem fecisse sane consentio cum Peerlkampo. Et patet causa corruptelæ comparanti versuum 641 et 653 initia: 'stabant et cæsa iungebant fædera porca' et 'stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat'. Nam fidem loci satis confirmat Charisii 128 et Diomedis 310 P. auctoritas, et regiæ recens structæ imago augebat sane fæderis inter Romulum et Tatium reges icti sanctitatem:

post idem inter se posito certamine reges	639
armati Jovis ante aram paterasque tenentes	ириз вифия
stabant et cæsa iungebant fædera porca:	641
Romuleoque recens horrebat regia culmo.	654

Eodem librariorum errore versuum VI 743—747 ordo turbatus est, optime ille quoque ab eodem editore Parmensi correctus, qui tamen nec Wagnero nec eius sectatoribus persuasit. Nam cum v. 742 finiatur vocabulo 'igni', v. 747 autem in 'ignem' exeat, librarius ea, quæ post 'ignem' demum addenda erant, post 'igni' sequi debere somniavit eosque, qui somniare quam iudicare malunt, fide sua nimirum religiosissima obstrinxit. Poeta autem non dubitamus quin purgatorii descriptionem sic continuaverit:

non tomen omne malum miseris nec funditus omnes

corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est
multa diu concreta modis inolescere miris.

Ergo exercentur poenis veterumque malorum
supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
infectum eluitur scelus aut exuritur igni:

742
donec longa dies perfecto temporis orbe
concretam exemit labem, purumque relinquit

ship no etherium sensum atque aurai simplicis ignem. Quisque suos patimur Manis; exinde per amplum 743 mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus.

Aliud quoddam simile exemplum extare puto Aen. IV 548 sq. Ubi versans secum consilia Dido quid deserta ab Aenea iam actura, quod vitæ genus sibi relictum sit, postremo id sibi ipsa imperat, quod omnium malorum optimum remedium et gravissimi cuiusque flagitii piaculum est:

quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem. 547-Non licuit thalami expertem sine crimine vitam 550 degere more feræ, talis nec tangere curas: non servata fides cineri promissa Sychaeo'.

Vides sibi ipsi mulierem culpam malorum imputare, a se omnem violatæ fidei poenam repetere. Cuius pœnitentiæ gravitas nescio an valde infringeretur, si vel post illa partem certe criminis sororis consiliis tribueret. Nunc vero in textu vulgato etiam inter medios illos ingenui doloris affectus sororem, quæ nec adest nec antea in reliqua oratione commemoratur, post 547 ita increpat:

> tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem 548 his, germana, malis oneras atque obiois hosti.

Scilicet acerrimo mæroris impetu correptam modo huc modo illuc animo fluctuare docebunt elegantiores interpretes, atque id ipsum, quod sine ullis orationis tamquam compagibus et coagmentis singula membra sibi invicem ut Cyclopum saxa superfunduntur atque insiliunt, animi furentis et omnibus sanæ rationis vinculis liberi tumultus ingeniosissime exprimi admirabuntur. Nos interea earum quippe deliciarum sensu destituti referimur ad eam orationem, qua revera Annam Dido appellat, 416 sqq. Ibi rogatura sororem ut ipsa fugientem amicum retinendi vel morandi saltem periculum faciat, ita præfatur, ut quo res pervenerit, ei ante oculos ponat:

> Anna, vides toto properari litore: circum undique convenere, vocat iam carbasus auras, puppibus et læti nautæ imposuere coronas.

Asque hic quidem, quo facilius beneficium illud, unicam spem suam, impetraret. criminari quamvis leviter sororem poterat, quod suis verborum inlecebris tantis turbis se obiecisset: make ne made element suite many signer annen amilio des mordis

incipi prorsus adsortior Servic et Peerlkampo / arguit postes (122) ming Aenew.oralio

tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem his, germana, malis oneras atque obicis hosti. Deinde quasi delenitura exprobrationis asperitatem addere poterat, se tamen quidquid sibi conciverit ignominiæ et ægritudinis fortiter laturam esse, dummodo (et his quo tetenderat adgreditur) illa quoque mederi malis a se excitatis, quoad fieri posset, conaretur:

hunc ego si potui tantum sperare dolorem, massa dan 419 de et perferre, soror, potero. miseræ hoc tamen unum et idia de dan de exsequere, Anna, mihi.

Itaque ante versum, qui voce 'dolorem' finitur, 419 apte inseruntur ea, quæ in libris post 'dolorem' v. 547 incommode sequuntur.

Atque hos quidem errores si quis antiquis potius Aeneidis editoribus quam librariis tribuere malit, non pertinaciter refragabimur, quamquam non sane optima de diligentia et iudicio eorum, qui præsertim et ipsi poetæ essent, opinio inde oritur. Itaque non inprobabiliter Wagnerus coniecisse videri potest, XI 266—268 Vergilium in marginem adposuisse (quamquam idem potius de versibus 264 sq. suspicari possis) sed videre debuit, optime omnia procedere, si hoc ordine cum ceteris componerentur:

militia ex illa diversum ad litus abacti de le
Atrides Protei Menelaus adusque columnas abate abates aimitost in
ecsolat, Aetnæos vidit Cyclopas Ulixes.
ipse Mycenæus magnorum ductor Achivom 266
coniugis infandæ prima inter limina dextra
oppetiit, devictam Asiam subsedit adulter. 268
regna Neoptolemi referam versosque penates 264
Idomenei? Libycone habitantis litore Locros? 265
invidisse deos, patriis ut redditus aris
coniugium optatum et pulchram Calydona viderem?

Nam bellum cum Teucris recusans Diomedes quibus suppliciis Græcorum duces Troiæ excidium lucrint, exemplis primum explicat Menelai Ulixis Agamemnonis: deinde parasiopesi utitur.

Septimo libro quod tribus adeo locis ordo versuum turbatus est, præter cetera argumento esse potest, ipsas poetæ schedas, quas postea Varius et Tucca in vulgus ediderunt, minime perpolitas et ad certum ordinem redactas fuisse. Nolo hic totum librum, cui ultima manus magis quam aliis defuisse videtur, in examen vocare: sed arguunt male cum ceteris conexi et inconditi versus quatuor primi, arguit totum usque ad v. 37 exordium, post quod demum alteram Aeneidis partem recte cum v. 38 incipi prorsus adsentior Servio et Peerlkampo; arguit postea (122) mira Aeneæ oratio.

qui Anchisem sibi de mensis comedendis vaticinatum esse recordatur, cum III 255 sqq. id vaticinium ab Harpyia proferri legerimus, arguunt porro rudes quidam et incompti loci velut 141—147, 467—474, ne de aliis dicam, què malo pro interpolatis habere, ut 69 'et partis petere agmen easdem Partibus ex isdem', et 429 'et armari pubem portisque moveri Lætus'; arguit inprimis magnus orationis inter 242 et 243 hiatus, quem ut expleret plus unum versum poetam additurum fuisse puto.

Quamquam quædam librariorum potius socordiæ tribuenda videntur, a quibus illum maxime locum deformatum esse suspicor, ubi Aventini habitus describitur VII 666—669. Multa ibi, ut solet, frustra temptavit Heynius, præclara omnia esse adfirmat Wagnerus, Ladevicus ad subtiliora quædam sua confugit interpretandi artificia vel offucias, partem denique veri sensit Peerlkampus, sed ut solita temeritate atque insolentia inrueret sæviretque in sanissima. Recte enim intellexit aptissime concludi totum locum verbis: 'sic regia teeta subibat', et capitis ornamentum a ceteris reliqui corporis similem in modum distinguendum esse, atque ubi de Ornyto narratur XI 679: 'cui pellis latos umeros erepta iuvenco Pugnatori operit, caput ingens oris hiatus Et malæ texere lupi cum dentibus albis'. Parum contra probabile atque adeo incredibile est TORQVENS corruptum esse ex RICTVS et optimos hexametros 668 sq. in hanc formam dilacerandos esse: 'indutus capiti atque humeros innexus amictu Horridus Herculeo, sic regia tecta subibat'. Immo servari possunt transposito versu 669 et additis literulis duabus:

ipse pedes, tegumen torquens immane leonis 66	6
horridus, Herculeoque umeros innixus amictu, 66	9
terribili inpexum os saeta cum dentibus albis	7
indutus capiti, sic regia tecta subibat.	

Sed difficiliora sunt 623—640. In quibus cum 'non ea rerum consecutio cernatur, quam si animum diligenter intendas, probes', meliorem Peerlkampus dispositionem proponere sibi visus est hanc: 623—625. 628. 626 sq. 632—636. 629—631. 637—640. At in transponendis locis inprimis cavendum est, ne temere discerpantur, qua arto inter se vinculo coharent. Ita meo quidem sensu in 629—640 pramissis 623 et 628 nihil ad iustum sententiarum tenorem desideratur:

ardet inexcita Ausonia atque immobilis ante,	623
signaque ferre iuvat sonitusque audire tubarum.	628
Quinque adeo magnæ positis incudibus urbes	
tela novant, Atina potens Tiburque superbum,	630

Ardea Crustumerique et turrigeræ Antemnæ.

tegmina tuta cayant capitum flectuntque salignas

umbonum cratis; alii thoracas aenos

aut levis ocreas lento ducunt argento;

vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri

ceasit amor, recoquont patrios fornacibus enses.

classica iamque sonant, it bello tessera signum.

hic galeam tectis trepidus rapit, ille frementis

ad iuga cogit equos, clipeumque auroque trilicem

loricam induitur fidaque accingitur ense.

640

Nam primum (623. 628) novus universorum Latinorum ardor pugnandi significatur, deinde singulis enumeratis quinque potentissimis Ausoniæ urbibus, quæ belli partes suscipiant (629-631), sibi quemque narrat nova arma ex qualicunque materia fabricari (632-636), edito autem classicis pugnæ signo indui armis et iungere eques (637-640). Sola, quæ inter v. 628 et 628 interponuntur, molesta sunt:

Nam et prius quod est, arma ut requirantur, post exercitationes armatorum commemoratur, et cum 628-636 nova prorsus arma seri multo copiosius narretur, parum apte poliri et acui vetera dicuntur 626 sq. Quid? quod armorum commemoratio interrumpitur etiam versu 628, quem ad 623 pertinere vidimus. Quæ cum ita sint, possis de transponendis versibus 624-627 ter repetita voce pars inter se conexis cogitare. Certe exercitationum bellicarum mentio fieri poterat post v. 637, sed displicet hic quoque cum duplex clipeorum (626 et 639) et equorum (625 et 639) commemoratio tum perversa primum de agitatis in campo, tum demum de iunctis ad currum equis dicendi ratio. Que cum ita sint, dittographiam potius versuum 638-640 priores illos quatuor 624-627 esse censeo, qui cum post 'signum' v. 637 inserendi essent, errore ante 'signa' v. 628 inlati sunt. Recentiora igitur et magis ipsi poetæ probata fuisse suspicor, quæ suum in libris locum servaverunt (638-640). Quod si quis reiectanea illa fortasse etiam propter soloeca illa 'pars arduus' interpolatore magis quam Vergilio digna esse statuerit, aspernari debebit præter librorum MRF auctoritatem Macrobii VI 1, 54 et Nonii 400, 25 testimonia, ne dicam de Servio, de Claudio Sacerdote II 110, de Probi institutionibus II 3, 10, de scholiis Lucani VII 574.

Minus etiam absolvisse videtur poeta locum 695—705. Nam deesse v. 695 verbum, quo accusativi 'acies' et Faliscos' referri possent, intellexerunt et Peerlkampus et Ladevicus (cf. philologi VII 482), quorum ille ad sequentis v. 696 verbum 'habent' priora accommodavit violentissime corrigendo: 'hi Fescenninos colles æquorque faliscum'*), hic paulo prudentius et servanda esse sensit quæ per se nihil suspitionis moverent testimoniorumque fide defenderentur, et quale fere verbum desideraretur perspexit. At quod rejecto ante 693 sq. versu 695 et mutato 'hi' pronomine in 'is' antiquam manum restituisse sibi visus est, primum molesta est subjecti 'is' ad Messapum ipsis duobus versiculis ante nominatum relati nimia gravitas. Nulla enim est loci IX 595 similitudo, ubi ita conformata tota oratio est, ut in novi enuntiati exordio pronomine illo uti necesse esset. Præterea autem nulla omnino causa est, cur aut optime elaboratos versus quatuor 691—694

at Messapus, ecum domitor, Neptunia proles, and des automatical quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro, and des automatical iam pridem resides populos desuetaque bello agmina in arma vocat subito ferrumque retractat

discerpas aut nationum, quas ad pugnam Messapus ducit, enumerationem, qualis a v. 695 usque ad 697 fit, disturbes. Nam diversi a Fescenninis et Faliscis sunt, qui Soracte Ciminum Capenam colunt. Et possunt integra servari omnia, si lacunam post v. 695 statuimus:

hi Fescenninas acies æquosque Faliscos de la magnita abut luoris acces ducunt....

hi Soractis habent arces Flaviniaque arva, massa anno A anno arrondus

et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.

Post enumerationem autem ea comparatio sequi debebat, quam ad multitudinem agminis referendam esse vidit Wagnerus:

misceri putet, aëriam sed gurgite ab alto urgueri volucrum raucarum ad litora nubem.

Hisque transitum sibi parat poeta ad proficiscentis exercitus carmina cum cycno-

^{*)} Nec multo aut venustior aut modestior est Hoffmanni (cf. Bonitzii ephem. schoł. 1853 p. 882) coniectura: Fescenninos agros.

ceu quondam nivei liquida inter flumina *) cycni,
cum sese e pastu referunt et longa canoros
dant per colla modos; sonat amnis et Asia longe
pulsa palus.

Nam cetera ut mittam, quis paulo benigniore ingenii vena præditus poeta duas ex eodem rerum naturæ genere imagines hauriet ita, ut speciem quæ dicitur, cycnos, præmittat generi, avibus? Quasi non qui cum cycnis componi milites legisset, eo ipso avium eosdem similes esse intellegeret: quod contra qui aves primum appellati erant, optime porro cycnorum nomine distingui poterant.

Item minus recte poetæ schedas composuisse videntur amici illo primi libri loco, ubi picturæ in Junonis templo expositæ describuntur, quas miratur Aeneas:

namque sub ingenti lustrat dum singula templo
reginam opperiens, dum, quæ fortuna sit urbi,
artificumque manus intrans operumque laborem
455
miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas
bellaque iam fama totum volgata per orbem,
Atridas Priamumque et sævom ambobus Achillem.

In quibus v. 455 e coniectura scripsi intrans, quod si forte non insolita scribendi ratione INTRAS (ut statim 459 LACRIMAS in F) in archetypo expressum erat, haud sane procul inde vulgata iam Prisciani (772. 776) et Nonii (347, 20) ætate lectio INTERSE aberat. Cuius cum iam apud Servium duæ extent interpretationes, ut aut artificum manus Aeneas, magnus credo artis pingendi arbiter, inter se comparasse intelligatur, aut artificum inter se certantium manus et studia fingantur, probabiliorem explicandi viam ne recentiores quidem ingressi sunt, illa autem a Latini sermonis indole abhorrere rectissime sensit Peerlkampus ipse proponens, quod si INTERSE literæ genuinæ sint, unice probari necesse sit: 'inter se... mirantur.' ***) Sed tamen

^{*)} FLVMINA P: cf. Apollonii Argon. IV 1300. flumina, superscripto al. nubila y NVBILA MR Servius, Macrobius V 8, 3.

^{**)} At Dietschium non intellego, qui Hæckermanni ineptias recte refutans in annalium suorum LXVIII 446 non mirantur tantum, sed lustrant etiam legi vult, nec tamen v. 454 pro interpolato habet. Quamquam vel eo invitus prodidit, esse quod in numerorum illa vicissitudine debeat displicere.

cum post v. 418 comitis mentio facta non sit, hic autem et v. 454 et 456 solus Aeneas opperiens reginam singula in templo lustrare et lliacas pugnas conspicere, postea demum 459 Achaten adloqui narretur, vereor ut satis perspicue v. 456 numerus pluralis 'mirantur' proxime antecedat singulari 'videt'.

Fabulas autem illas, quas miratur Aeneas, intellectum est a Laurentio Lerschio et Enrico Brunnio (mus. Rhen. V 137-142) binas sibi invicem respondere, ita quidem ut primum Græcorum fugæ opposita esset Achillis victoria (467 sq.), tum Rhesi cædes compararetur cum misera Troili morte totidem versibus narrata (469-473. 474-478), deinde mulierum Troianarum Palladi peplum deferentium (479-482) supplicatio similis esset ei imagini, qua Priamus Hectoris corpus ab Achille redimere fingeretur (483-487), denique Memnonem (488 sq.) ab altera parte Penthesilea exciperet (490-493). Et potuisse eiusmodi imaginum paria ab artifice aliquo componi non nego. Sed quominus eodem ordine nostrum quoque poetam illa collocasse concedam impedior una voce versus 479 : 'interea'. Nam cum propter Diomedis maxime virtutem Heleni iussu Minervæ supplicatas esse mulieres Trojanas narret Homerus II. z 297 sq., consentaneum erat, eius rei commemorationem cum eiusdem hominis insidiis nocturnis, quibus Rhesus occidit, componi, nec ad Troili mortem referri, quæ nulla ratione cum rebus a Diomede gestis coniuncta erat. Quid? quod ipse Servius eundem rerum nexum ad v. 479 proponit: 'cum Diomedes auxilio Minervæ plurimos Troianorum fudisset, Helenus . . . monuit ut Minervæ numen exoraretur e. q. s. Itaque aptius erat, ni fallor, poetam hæc scribere:

nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
adgnoscit lacrimans, primo quæ prodita somno

Tydides multa vastabat cæde cruentus
ardentisque avertit equos in castra, prius quam
pabula gustassent Troiæ Xanthumque bibissent.

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
crinibus Iliades passis peplumque ferebant
suppliciter tristes et tunsæ pectora palmis:
diva solo fixos oculos aversa tenebat.

lam vero finge ab altera parte Troilum puerum, qui cum Achille inpar congressus amissis armis et vulnere accepto ad fugam se converterat, resupinum e curru et misere tractum per pulverem: ab altera eodem modo deformatum, sed mortuum principem Troianorum Hectorem, cuius corpus a victore eodem Achille Priamo traditur. Atque hic quoque quini versus se excipiunt, qui quam arte conexi sint, ipse iudex esto:

parte alia fugiens amissis Troilus armis
infelix puer atque inpar congressus Achilli:
fertur equis curruque hæret resupinus inani,
lora tenens tamen; huic cervixque comæque trahuntur
per terram et versa pulvis inscribitur hasta.

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros
exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici
tendentemque manus Priamum conspexit inermis.

Quod si recte coniecimus, Vergilius quatuor tabularum paria etiam orationis forma ita distinxisse videtur, ut similia primo statim aspectu agnoscerentur. Nam primum utitur adverbiis 'hac — hac' (467 sq.), tum ad secundum imaginum par transit verbis: 'nec procul hinc' (469), tertium indicit his: 'parte alia' (474), extremum denique hoc versu: 'se quoque principibus permixtum adgnovit Achivis'. (488)

Alia quadam ratione similes esse puto hos locos: LV 486. IX 146 sq. XII 801 sq. Ac iure offendit veteres etiam interpretes, quod IV 486 Hesperidum temph sacerdos draconi, qui sacros ramos servaret, epulas dedisse narratur

spargens umida mella soporiferumque papaver,
quasi soporandus, non potius ad summam vigilantiam stimulandus fuisset aureorum pomorum custos. Nam quod dicunt, qui non bono Homero tantum, sed Horatio
quoque et Vergilio et cui veterum scriptorum non? soporiferum illud papaver benigna
manu et sparsum et gustatum esse sibi persuadent, nihil amnino epitheto illo significare
voluisse poetam, non id tantum credi sibi volunt, inane quoddam ornamentum, quod
una cum toto versu salvis ceteris omittere poterat, eum adposuisse, sed eo loco etiam
intrusisse, quo a sententia rerumque nexu ipsum contrarium efflagitaretur.

Non magis hic sagaciter Peerlkampus comparavit Valerii Flacci VIII 95 sqq. lbi enim Medea, quæ ut pellem Jason adimeret, draconem arte sua, h. e. Tartareis venenis et cantu et ipso papavere, quassans ramum Lethæum (84) somno obruerat, dormientem alumnum commiserans sic adloquitur: 'non ego te sera talem sub nocte videbam Sacra ferens epulasque tibi nec talis hianti Mella dabam ac nostris nutribam fida venenis. Ouam gravida nunc mole iaces! quam segais inertem Flatus habet!'

In quibus id quod quæritur, papaver, sera sub nocte præsertim, olim se ei spargere solitam esse, ne dicit quidem, nec sane poterat dicere, ubi non quam mitis olim, sed quam atrox et erectus fuerit, qui iam somni torpore victus iaceat, meminit. Quod si noster poeta sacerdotem illam bestiarum non minus quam mentium conciliatricem laudare voluit, non sapienter profecto coniunxit: 'servabat in arbore ramos Spargens' e. q. s., ac ne tum quidem multo melius arti consuluisse censendus sit, si quis forte posito v. 486 ante 485 hæc componat: 'epulasque draconi Spargens... papaver Quæ dabat et sacros servabat in arbore ramos.' Nam quocunque infausta illa verba iactamus, semper sententia eo redit, ut cibum mitigatorium draconi porrexisse atque ita (ut cum novissimo Anglorum interprete Enrico loquar) fructus aureos servavisse dicatur sacerdos.

Hæc omnia satis intellexit ille in Servianis scholiis, qui cum ad antecedentia versus 486 referri nulle medo posset, cum sequentibus potius ut coniungeretur proposuit. At id quidem merito recentiorum, quod sciam, nemini persuasit, melle et papavere spargendo mulierem illam hominum mentes vel solvisse curis vel impedivisse. Itaque nihil restat, nisi ut hoc loco remedia illa omnino exulare iubeamus. Et eicere ut interpolationem, cuius hemistichium ter a Nonio laudatur (220, 9. 404, 33. 405, 10), ausus est Jo. Schraderus. Sed accuratius circumspicienti aliud quoddam velut perfugium exulis versiculi aperietur, ni fallor. Nam v. 504 sq. describit Vergilius, quo ritu Dido moritura deos inferos placaverit: invocasse eam dira numina, sparsisse simulatos Averni latices, herbas noxias ad lunam quæsitas et carnem de pulli equini fronte præreptam collegisse. Pergit in descriptione sua versu tricesimo primo post 485, i. e. 517 hisce:

ipsa mola manibusque piis altaria iuxta unum exuta pedem vinclis in veste recincta testatur moritura deos e. q. s.

Quæ ut intellegerentur, satis disparia conglutinanda erant interpretibus. Nam molam quidem salsam in ignem coniectam, manus autem pie precantis ad cælum sublatas explicans Heynius quam dura locutio esset tacitus satis superque monstravit. Ac ne supplicare quidem mola et manibus dicitur Dido, sed testari deos et postea demum (521) precari.

Sensit difficultatem idem Schraderus, qui fortasse inductus Servii interpretatione: mola, i. e. farre et sale', scribendum coniecit: 'ipse mola salibusque piis', ut apud inferos Aeneas V 745 'farre pio et plena supplex veneratur acerra'. Sed omittendum

non est, ne libros quidem prorsus hic inter se consentire, ex quibus cum F sane item ut Servius MOLA habeat, in PM2m. 1, et in Eutychii II 8 codice extat MOLAM. Quod optime se habet, si post v. 485 incommoda illa 'spargens... papaver' versum facimus tricesimum alterum hoc modo:

ipsa molam manibusque piis altaria iuxta	517
spargens umida mella soporiferumque papaver,	486
unum exuta pedem vinclis, in veste recincta	518
testatur moritura deos e. q. s.	

Similiter in ecloga VIII 82 ut durus Daphnidis animus ad amorem perliciatur sacra faciens magica 'sparge molam' inquit, 'et fragilis incende bitumine laurus'. Hic autem postquam omnem conciliandi Aeneæ spem deposuit Dido potius de Cerbero placando cogitasse videtur, cui VI 420 Sibylla 'horrere videns iam colla colubris Melle soporatam et medicatis frugibus offam Obicit', quo ille cibo statim sopitus et humi fusus liberum Aeneæ aditum præbet.

Idem remedium adhibendum censeo versibus IX 146 sq. Conterritos monstro animos suorum erigit Turnus demonstrans, non salutem Teucris, sed exitium instare, Neque enim placatam esse iram deorum Troiæ excidio, quoniam peccare illi nondum desierint ('peccare fuisset Ante satis penitus modo nunc genus omne perosos Femineum!' 140 sq.), nec vallo fossisque satis munitos esse, quorum mænia Neptuni ipsius manu fabricata in ignes consederint (145). Immo (ita enim pergitur v. 148) multo facilius etiam nunc quam olim eos vinci posse; non armis, qualia Achilli Volcanus fecerit, opus esse, non furtis illis equi lignei, sed 'luce palam' se mœnia igni circumdaturos esse fortiores quippe quam ignavam illam Græcorum manum, quam decem per annos Hectoris virtus distulerit (-155). Sed hodie, quoniam sol vergat, abstineant a pugna et ad crastinum prælium vires roborent. Deinde vigiliarum vices distribuuntur. Vides omnia bene procedere nec quidquam ad sententiarum nexum desiderari. Et tamen ei ipsi orationi, qua pugnam omittere iubentur milites, inseritur post v. 145 exhortatio certandi hæc:

sed ves, o lecti, ferro quis scindere vallum apparat et mecum invadit trepidantia castra?

Summo nimirum animi impetu abreptus, — ita enim a Rudolpho Dietschio in Jahnii annalibus LXIX 564 docemur — Turnus non sane imperat suis, quod postea ne faciant vetat, sed imperandi forma usus confidere se significat fore ut, si quando imperaturus sit, secum hostium castra socii oppugnent. At quæ ista est imperatoris

subjected excitionis He volume

disciplina, interrogare quis electorum secum rem gesturus sit, quam nec ipse gesturus est nec alios gerere serio vult? Atque ea ipsa dicendi ratio, qua summam ducis confidentiam exprimi censet Dietschius, nobis contra modesta atque incerta videtur. Qui enim interrogat, quis sociorum rem gesturus sit, certe non omnes paratos fore confidit. Itaque sententiam sane adiuvit Ladevicus, qui illam ipsam bonam spem imperatoris ut inferret, correxit: 'et vos, o lecti, ferro quis scindere vallum non parat et mecum invadit trepidantia castra?', vel quod in commentatione Neostrelitiana anni 1853 p. 19 præfert: 'haud parat.' At probabilem sententiarum ordinem ut efficeret, hic quoque ipse poetam magis quam interpretem agere debuit vir egregius. Hæc enim Turnum dicere narrat: 'wenn die Troianer sich auf die Fertigkeit ihrer Verschanzungen verlassen, so sind sie Thoren, denn selbst die vom Neptun erbauten Mauern Troja's wurden zerstört, und wir werden die sen Mauern ein gleiches Schicksal bereiten, denn wir wollen es (v. 146-147), und können es, da wir an Muth und Tapferkeit die Griechen weit übertreffen (v. 148-155). Sed hoc ipsum poeta quoque inserere debebat: 'et his quidem muris nos excidium parabimus, quod quis est vestrum quin sua manu efficere promtus sit? Et facile perficiemus quod cupimus' e. q. s. Hæc intellegi saltem poterant, quamquam imperatorem multo melius decebat, id quod facturum se esse confideret, eis verbis solis profiteri, que legimus 153-155:

haut sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga esse ferant *), decumum quos distulit Hector in annum.

Itaque illa hic non desiderari tantum posse, sed obscura etiam et indigna et parum emendata videri iudicamus.

Atqui Macrobius Sat. V 9, 3 hos ipsos versus ortos esse monet ex Homeri Iliade M 440, ubi Hector repulsis ad murum Achaeis ipso pugnæ ardore elatus portam frangere et navibus ignem inicere Troas iubet:

ώς μεν των επί εσα μάχη τέτατο πτόλεμός τε,
πρίν γ' ότε δη Ζευς κυδος υπέρτερον "Εκτορι δώκεν
Πριαμίδη, ος πρώτος εσήλατο τείχος 'Αχαιών'
ἤυσεν δε διαπρύσιον, Τρώεσσι γεγωνώς'
'όρνυσθ, ίππόδαμοι Τρώες, ρήγνυσθε δε τείχος
'Αργείων, καὶ νηυσὶν ενίετε θεσπιδαες πῦρ.'

^{*)} FERANT PF2m. 1. PVTENT MR2m. 2.

Persentisne quo consilio et qua spe motus dux talia imperia fundere soleat? A quibus Turni verba, si illo loco posita erant, tantum abhorrent, ut mirari possis vel ullam Macrobium similitudinem deprehendisse, quæ ne minima quidem esset, si ea, quæ Ladevicus coniecit, Vergilius scripsisset. Sed simillimus locus antea extat, ubi inclusos in mænia Teucros oppugnare Turnus et in aciem elicere conatur. Statim v. 50 hortatur socios ut secum in hostes inruant: 'ecquis erit, mecum, iuvenes, qui primus in hostem? En, ait. et iaculum attorquens emittit in auras, Principium pugnæ, et campo sese arduus infert. Clamorem *) excipiunt socii fremituque secuntur Horrisono' e. q. s. Itaque modo huc modo illuc equo adgressus muros lustrat: 'qua temptet ratione aditus et qua vi **) clausos Excutiat Teucros vallo atque effundat in æquor?' (67 sq.) Subito consilium in mentem venit:

classem, quæ lateri castrorum adiuncta latebat,
invadit sociosque incendia posoit ovantis
atque manum pinu flagranti fervidus implet.

En Hectorem Achæorum navibus imminentem, itaque hic statim adiunge:

'sic vos, o lecti, ferro qui scindere vallum 146 apparat et mecum invadit trepidantia castra!' 147 tum vero incumbunt; urget præsentia Turni; 73 atque omnis facibus pubes accingitur atris.

diripuere focos e. q. s.

His demum reddita sunt Homeri illa:

Quod autem per scripsi pro librorum lectione SED, exigua profecto in tanta literarum I et E, C et T vicissitudine mutatio est : at omnium librorum, i. e. PRFM, auctoritate fretus restitui qui scindere pro vulgato 'quis scindere.'

Restat ultimus locorum quos tractare institui: XII 801 sq. Satis severe uxorem Juppiter increpat, ut tandem aliquando irarum finem faciat, satis acerbe vanas et in-

autem poeta sponaeis aa aepingenaas oppugnanai moras utitur, qu dactyli ad aures acciderent.

SIC

^{*)} CLAMOREM PM₂1 CLAMORE RF₂2 'clamorem . . . legitur et slamore' Servius.

**) qua vi ex coniectura scripsi. QVAVIA MFP2₂ QVAEVIA P1R 'qua via . . . legitur tamen et quæ via, et est sensus absolutior' Servius. qua vice Withofius. Consilie autem poeta spondeis ad depingendas oppugnandi moras utitur, quo velocius postes

dignas dem maiestate machinas, quibus Teucrorum res turbare conata sit, castigat 793—800. Quibus extrema hac addit:

desine iam tandem, precibusque inflectere nostris; 800
ni te tantus edit tacitam dolor, et mihi curæ
sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent.

ventum ad supremum est. terris agitare vel undis
Troianos potuisti, infandum accendere bellum,
deformare domum et luctu miscere hymenæos: 805
ulterius temptare veto.

Quadrant ad eum Jovis animi affectum, quem cognovimus, versus 800 et 803—806, tam arte inter se conexi, ut omissis 801 sq. nihil prorsus ad sententiam vel ad orationis integritatem desideretur. Horum autem primum varia lectio proponenda est hæc: 801 NI Pm.1 NE MP2, Diomedes 358 nec vulgo EDIT P1,1, testatur Diomedes et, ut videtur, Servius EDAT MP2,2.

Peerlkampi, qui 'cur te tantus edat t. d. aut mihi curæ' proposuit, temeritatem nihili facio, quamquam hic quoque qualem orationis formam sententia recepta flagitaret melius ceteris perspexit. Ac duplicem viam ingressi sunt interpretes, aut ut vetare dicerent Jovem, ne totiens querellis uxor ipsum fatigaret, aut contra blande hortari, ut quotienscumque vellet, curarum suarum maritum participem faceret, modo ne speraret quicquam opprobriis eius perfici posse. At illis, quorum Heynius aucter est, ne adstipulemur tria maxime impediunt. Primum si tacitam noluit dolorem concoquere, permittere saltem debuit ut verbis effunderet, quamvis nihil ipse eis moveretur; deinde id quoque si vetare voluit, dicendum erat: 'neve curas tuas sæpius mihi obicias, poterat fortasse uti particula aut, falsissimum erat et, quoniam nec simul et taciti dolere et verbis conqueri possumus nec excitant semper tacitæ curæ verborum questus. Hac enim sola ratione defendi posse copulativæ particulæ in sententiis negativis usum intellego, eodemque redeunt exempla a Wagnero in quæst. Verg. XXXVI 8 adlata præter nostrum omnia. Tertium denique est, quod severæ mariti castigationi aperte adversatur verborum 'tuo dulci . . . ex ore' blanditia. Atque hoc etiam Ladevicus concessit, qui alteram illam viam, ut tenere consolantem Jovem fingeret, ingressus est. Sed is quod particulas 'nec . . . et sibi eodem modo hic oppositas esse statuit, ut nostro sermone 'einerseits nicht - wohl aber andrerseits,' iam hoc ipse concedet, si qua antiquorum testimoniorum auctoritas sit, prohibitivæ particulæ ni, 1. c. ne, opponi debuisse sed. Præterea autem prudentisne mariti erat, hortari uxorem

ut iterum iterumque easdem curas tristes h.e. cadem opprobria sibi repeteret? Hocine est 'tandem desinere et precibus mariti inflecti'? An ad tantam patientiam quadrant sequentia: 'ventum ad supremum est', et 'ulterius temptare veto'?

Immo blanditiarum locus alius quidam est. Postquam enim cedere se fatis et pugnas relinquere Juno submisso voltu professa est, tunc

olli subridens hominum rerumque repertor 829
redit in gratiam cum uxore, cuius ut omnes angores sollicitudinesque discutiat, non solum quod petierat illa, ne umquam Troix nomen et lingua in Latio renascatur, spondet ac promittit, sed etiam summos ei honores apud novam gentem auguratur. Itaque mutilata valge Jovis verba insertis versibus 801 sq. sic redintegrare mini videor:

es germana Jovis Saturnique altera profes:

iraram tantos volvis sub pectore factus!

verum age et inceptum frustra submitte furorem.

832

ni te tantus edit tacitam dolor et mihi curæ

sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent,

do quod vis et me victusque volensque remitto.

Hic enim et illud tolerari potest, quoniam pariter veretar Juppiter et ne tacita se ipsa dolore maceret et ne easdem ægritudinis suæ cantilenas quamvis repressas et dissimulatas ad fastidium usque sibi offundat. Sed hoc, quod magis ni fallor metnit, quam placide ac delicate significavit! Imitatus autem est Jovem Homericum, qui cavillans et ipse uxoris in Troianes iram tamen ei morigeratur, fl. Δ 37:

At enim quotusquisque eorum qui Vergilium hodie commentantur, concedet fleri potuisse, ut tanto librorum consensu tantæ turbæ in textum inruerent. Hoc qui negant, eos aliam quandam ratiocinationem mecum inire iubeo. Legimus, ut supra narravi, in Mediceo codice post I 700 in medium textum insertos versus octo 709—716, et tum demum omissa carmina item octo 701—708; offendimus in eodem Mediceo post IX 732 inlatos versus 725 sq., qui suo loco omissi priore pagina ima literis mineribus adiecti sunt, et hic quoque locus inde a 725—732 continetur octo versibus; redit eadem ratio in schedis Vaticanis, ubi post IV 677 in margine cum ipso illo Probi asterisco adponitur, qui octo versibus ante seriptus esse debebat, v. 670; repetitur denique in Palatino versus X 38 post 67. Atqui si recte olim confecimus post 42 et 46 in hac ecloga singula carmina excidisse, inter versus 38 et 67

intercedunt XXXI, ut si forte pagina aliqua finiebatur versu 38, deinde autem sequebantur tres paginæ octonis versibus, in quintæ paginæ ultima linea locus fuerit repetendo per errorem versui primæ paginæ ultimo 38. Itaque et Medicei et Palatini et schedarum Vaticanarum archetypon octonos singulis paginis versus continuisse statuere possumus; sed illæ quidem turbæ cum in singulis tantum libris deprehendantur, aut in hos ipsos ex communi aliquo codice primum a librariis inlatæ sunt aut ex diversis fontibus in suum quodque exemplum transierunt. Atque illud quidem aliis indiciis satis constat, non unam eandemque recensionem quæ dicitur exemplaribus nostris repræsentari: sed quoniam ad Varii et Tuccæ editionem omnia redeunt, potuerunt eius exemplaria vel plura vel unum aliquod octonis in quaque pagina versibus scripta esse.

Atqui etiam inter IV 485 et 517 versus intercedunt XXXII, qui quatuor paginis ita distribui possunt, ut incipiente prima a versu 487 in ultima post 517 sequatur 486; item a XII 800 usque ad 832 totidem sunt, qui eodem modo collocati esse poterant, ut quartam paginam, quæ inciperet a v. 827, finirent 801 sq. Noviens octo versibus distant IX 146 sq. a versu 72 (nam 121 interpolatum nostri codices omittunt omnes), ita ut versus 73 usque ad 145 novem complerent paginas; denique sedecim octonorum versuum paginas efficiunt versus IV \$19-547 (nam 528 in libris nostris non extat). Quod si vel summa vel ima quaque pagina facillime errores in transcribendo committi conceditur, libri IV pagina LII eiectis 126 et 273 (quorum illum ex I 73 repetitum et damnatum a Peerlkampo habent sane RM2, alterum vero ne codices quidem nostri PM2 noverunt) in versum 418 exibat, et si in marginem rejecti erant 548 sq. et 486, sedecim inde paginæ erant usque ad 547. Item in libro nono, si unum versum titulo concedis, post v. 72, quoniam 29 interpolatus ab omnibus nostris exemplaribus abest, exibat pagina nona, et hinc usque ad 145 reiecto v. 121, quem dixi interpolatum esse, iterum carmina LXXII, i. e. novem paginæ efficiuntur; in libro demique XII interpolatos esse convincunt libri versus 612 sq., sed excidisse suspicor post 732 versiculum unum, itaque usque ad v. 800 paginæ erant centum.

Hæc igitur si non inprobabiliter computavimus, statuendum erit, librorum PRMF2 archetypon unum aliquod antiquissimum fuisse, in quo hi loci: IV 486. 548 sq. 670 IX 146 sq. XII 801 sq. iam a suo loco in falsum transpositi erant, huius autem vicissim libri exemplum octonos singulis paginis versus habuisse, in quibus illi aut in margine notati aut ima summave pagina scripti erant.